

hensam. Ergo, sicut implicat voluntatem appetere objectum quod sibi per intellectum non proponitur, sed incognitum, ita implicat aliter appetere quam sibi proponitur, consequenter necessario appetere quod sibi sub indifferentia proponitur; alioquin, sicut in primo casu, ita et in secundo foret et non foret appetitus rationalis.

*Confirmatur.* Implicat voluntatem agere sine ulla cognitione; quia, ut dictum est, est essentialiter appetitus rationalis sequens cognitionem et ductum intellectus. Atqui id contingeret, si ferretur necessario in objectum sub indifferentia propositum. Ergo. — Prob. min. Non ageret nec regeretur per illam cognitionem quæ repræsentat objectum ut indifferens; alioquin ferretur etiam in illud indifferenter, neque foret altera cognitio, ut supponitur. Ergo sine illa cognitione ageret.

## DISSERTATIO III

## DE ACTIBUS HUMANIS SPECIATIM SUMPTIS

D. Thomas, I. II., a q. 8 ad 17.

Explicata conditione generali actuum humanorum, scilicet ratione voluntarii et liberi, nunc agendum est de ipsis actibus speciatim: primo de actibus elicitis, deinde de imperatis. Sunt autem sex actus a voluntate eliciti: tres circa finem, scilicet simplex volitio, intentio et fructio, et tres circa media, scilicet consensus, electio et usus activus. His sex actibus voluntatis correspondent ex parte intellectus quinque actus dirigentes, et unus ex parte potentiarum executivarum. Ex parte intellectus, duo circa finem, scilicet simplex apprehensio et iudicium; tres circa media, nempe consilium seu consultatio, iudicium practicum seu discretivum mediorum, et imperium. Ex parte potentiarum aliarum, usus passivus.

De his sat fuse agit Author per decem quæstiones. Plura etiam de ipsa potentia volitiva immiscet in primis quæs-

tionibus ad accuratiorum actuum notitiam. Quæ sunt utiliora seligemus.

## ARTICULUS I

*Utrum voluntas possit velle malum sub ratione mali?*

Dico: Voluntas non potest velle malum sub ratione mali<sup>1</sup>.

*Probatur.* Voluntas est appetitus quidam rationalis. Atqui omnis appetitus non est nisi boni. Ergo. — Prob. min. Appetitus nihil est aliud quam quædam inclinatio appetentis in aliquid. Atqui nihil inclinatur nisi in aliquid sibi conveniens; quod enim est rei conveniens, allicit et trahit inclinationem, sicut quod est disconveniens, ei repugnat. Ergo omnis appetitus non est nisi convenientis, consequenter boni; bonum enim et conveniens unum sunt, sicut malum et disconveniens.

*Dices:* Qui appetunt non esse, ut dæmones et homines desperantes, appetunt malum sub ratione mali, nam in non esse nulla potest apprehendi ratio boni. Ergo.

*Resp. Nego* ant. et ejus probationem. Nam carere malo, est bonum, inquit Author<sup>2</sup>, hic, ad 3. Dæmones autem et homines desperantes apprehendunt in non esse, carere malo, quatenus apprehendunt non esse ut medium conducent ad liberationem a suis miseriis; et sic appetunt non esse materialiter, formaliter non esse miseri, ita ut ratio formalis appetendi non esse sit quædam ratio boni, scilicet carere malo et miseria.

*Petes* an e duobus bonis voluntas possit eligere minus vel aequale.

*Resp.* Quamvis simpliciter et absolute voluntas, pro sua libertate, possit ex duobus bonis æqualibus vel inæquali-

1. Hic q. 8, a. 1, o. — 2. Hoc effatum mutuatur Angelicus ab Aristotele, qui V *Ethic.*, c. 2, dicit: « Minus malum quodam modo videtur bonum esse. »

bus æquale vel minus eligere, id tamen facere non potest, nisi mutato iudicio practico et proposito novo motivo, quo unum magis emineat, et iudicetur hic et nunc melius et convenientius. Hocque sensu verum est quod electio sit semper de meliori.

*Prob.* Voluntas non fertur in aliquod bonum, nisi trahatur et alliciatur ab illo; bonum enim comparatur ad voluntatem tamquam movens ad mobile, et motio boni in voluntatem est metaphorica, scilicet trahendo et alliciendo. Ergo non potest ferri in unum præ alio nisi ab illo alliciatur et attrahatur præ alio. — Subsumo. Atqui quod unum trahat et alliciat præ alio, non potest esse nisi quia præ alio iudicatur conveniens et bonum; sola enim convenientia seu bonitas proposita per intellectum, est motivum voluntatis. Ergo voluntas non potest ex duobus minus aut æquale eligere, nisi iudicetur practice melius et convenientius.

*Confirmatur.* Voluntas non potest ex duobus bonis propositis unum præ alio eligere, nisi intellectus iudicet esse præeligendum; est enim voluntas, ut jam toties diximus, potentia cæca sequens dictamen rationis, et tendens in objectum prout ipsi ab intellectu proponitur. Atqui intellectus non potest iudicare, unum e duobus esse præeligendum, nisi in quantum iudicat melius et convenientius, quia tota ratio eligibilitatis est bonitas et convenientia; et sicut non posset iudicare esse absolute eligendum, nisi iudicaret esse absolute bonum et conveniens, ita non potest iudicare esse præeligendum, nisi iudicaret melius et convenientius. Ergo voluntas non potest e duobus unum præ alio eligere, nisi intellectus iudicet esse melius et convenientius.

## ARTICULUS II

*De motivo voluntatis quoad specificationem.*

Dico 1<sup>o</sup>: Intellectus movet voluntatem quoad specifica-

tionem; voluntas autem movet intellectum et alias potentias sibi subditas quoad exercitium.

*Prob.* prima pars<sup>1</sup>. Movere quoad specificationem, est determinare ad actum certæ speciei. Atqui intellectus, proponendo objectum voluntati, illam determinat ad actum certæ speciei. Ergo. — *Prob. min.* Voluntas non elicit actum talis speciei, v. g., amoris, nisi quia tendit in objectum sibi propositum ab intellectu ut amabile. Ergo.

*Prob.* secunda pars<sup>2</sup>. In omnibus potentiis activis ordinatis, illa potentia quæ respicit finem universalem movet ad exercitium potentias quæ respiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus quam in politicis. Cælum enim, quod agit ad universalem conservationem generabilium, movet omnia inferiora, quorum unumquodque agit ad conservationem propriæ speciei, vel etiam individui. Rex etiam, quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos præpositos civitatum, qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Atqui objectum voluntatis est bonum et finis in communi; quælibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Ergo voluntas per modum agentis movet ad exercitium omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetativæ partis, quæ nostro arbitrio non subduntur. Hæc secunda pars conclusionis specialius explicabitur quæst. 17, ubi de actibus imperatis.

Dico 2<sup>o</sup>: Voluntas non movetur directe quoad specificationem ab appetitu sensitivo, neque a corpore cælesti, bene tamen indirecte et mediate<sup>3</sup>.

*Prob.* prima pars<sup>4</sup>. Nihil materiale seu corporale, qualia sunt appetitus sensitivus et corpus cæleste, naturaliter potest agere directe in rem immaterialem, qualis est voluntas. Ergo.

1. Hic q. 9, a. 1, o. — 2. Ibid. et 1<sup>a</sup> p., q. 82, a. 4, o. — 3. Ibid., a. 2 et 5, o. — 4. Ibid., a. 5, o.

*Prob. secunda pars*<sup>1</sup>. Passione suscitata in appetitu sensitivo, homo certo modo afficitur et ad certam aliquam dispositionem immutatur, qua fit ut ejus intellectus apprehendat aliquid ut conveniens et bonum, quod non ita apprehendisset et judicasset absente passione. « Qualis enim unusquisque est, talis finis videtur ei, » ut dicit Philosophus, III *Ethic*, c. 4. Sic iratus judicat vindictam sibi convenientem et bonam, quam non judicaret talem pacatus. Atqui, ut diximus, objectum intellectu apprehensum movet voluntatem quoad specificationem. Ergo appetitus sensitivus, ex quo objectum sub ratione convenientis intellectui representatur, movet voluntatem quoad specificationem indirecte et mediate, mediante scilicet judicio intellectus.

*Prob. eadem secunda pars de corpore cœlesti*<sup>2</sup>. Corpora cœlestia possunt alterare humana corpora, ex qua alteratione sequuntur passiones in appetitu sensitivo, qui est actus organi corporalis. Atqui ex appetitu sensitivo movetur indirecte et mediate voluntas, ut modo dicebam. Ergo.

### ARTICULUS III

#### *De motivo voluntatis quoad exercitium.*

*Nota* quod aliud sit voluntatem agere seu velle, aliud voluntatem se movere. Voluntas dicitur agere simpliciter, quando volitionem elicit. Dicitur se movere proprie, quando ex uno actu procedit in alium, ut dum ex volitione finis se applicat ad agendum pro ejus consecutione; nam unumquodque in tantum movet, in quantum est in actu. His notatis,

**Dico 1<sup>o</sup>** : Voluntas seipsam movet quoad exercitium in aliquibus actibus<sup>3</sup>.

*Prob.* Sic se habet finis in appetibilibus, sicut princi-

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 5, o. — 3. Ibid., a. 3, o.

pium in intelligibilibus. Atqui intellectus, per hoc quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, quantum ad cognitionem conclusionum, et hoc modo movet seipsum. Ergo similiter voluntas per hoc quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem.

*Dices*, juxta commune axioma : « Omne quod movetur, ab alio movetur. » Ergo voluntas non movetur a seipsa.

*Resp. Nego consequentiam.* Quia stant simul se movere, et ab alio moveri. « Cum aliquid movet seipsum, inquit Author, q. 3 *de Malo*, a. 2, ad 4, non excluditur quin ab alio moveatur, a quo habet hoc ipsum quod seipsum moveat, scilicet a Deo. »

**Dico 2<sup>o</sup>** : Voluntas, in prima volitione finis simpliciter et respectu totius vitæ, non se movet quoad exercitium, sed movetur a Deo<sup>4</sup>.

*Prob. 1<sup>o</sup>.* Quod est in potentia, indiget moveri ab eo quod est in actu; quia, ut jam dixi, in tantum aliquid movet, in quantum est in actu, et in tantum movetur, in quantum est in potentia. Atqui voluntas respectu primæ volitionis simpliciter non est in actu, alias non foret prima volitio. Ergo.

2<sup>o</sup> In omni vita, primus motus illius vitæ est a generante, ut patet in motu cordis. Atqui Deus est author et genitor vitæ intellectualis. Ergo primus motus illius vitæ, scilicet prima cognitio intellectus, et prima volitio voluntatis, est specialiter a Deo.

Cave tamen ne inde inferas, Deum movere dumtaxat voluntatem ad primam volitionem, et non ad alias ejus volitiones. Equidem movet ad primam volitionem et speciali motione quæ suppleat actum priorem ex quo voluntas se moveret, et ad actum sequentem se applicaret; at insuper, ut primus motor et prima universalis causa, movet voluntatem ad omnes suas volitiones, quatenus est

1. Ibid., a. 4, o.

secunda causa primæ subordinata, de se indifferens et activa tantum in actu primo, ut late probatur in philosophia, de præmotione physica.

*Dices* : Homo potest peccare in primo instanti rationis. Ergo in eo se movet; alias peccatum refunderetur in Deum.

*Resp. Dist. ant.* Homo potest peccare in primo instanti initiativo usus rationis, *nego*; terminativo, *conc.* Instans usus rationis acquisitus per discursum est morale, constans pluribus instantibus physicis. In primo, homo specialiter motus a Deo non se movet, nec peccare potest; in sequenti, jam in actu positus, ut se movens, peccare potest.

Dico 3<sup>o</sup> : Supposito usu rationis, quando nova negotia incipiunt, et novus finis infenditur, ad primam ejus volitionem voluntas quandoque se non movet, sed a Deo movetur, quando scilicet in voluntate nullus præcessit actus habens connexionem cum isto novo fine, sed sunt potius dispositiones contrariæ; ut cum Deus specialiter et subito movet infidelem ad fidem, peccatorem ad pœnitentiam<sup>1</sup>. Quandoque vero se movet, quando scilicet præcessit aliquis actus vel effectus habens connexionem cum illo novo negotio.

*Explicatio textus difficilis S. Thomæ.*

Multis factis negotium responsio quam habet hic S. Thomas, a. 6, ad 3, in qua dicit: « Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicitur. » Ex qua responsione non

1. Hic q. 9, a. 6, ad 3,

pauci inferunt, S. Thomam non admittere præmotionem physicam ad omnes actus, sed tantum ad bonos.

Verum hæc intelligentia diametraliter repugnat constanti doctrinæ D. Thomæ in innumeris pene locis, neque legitima est præsentis textus. Itaque per primam motionem, in ista responsione, S. Doctor non intelligit illam motionem communem qua Deus, ut primus motor, movet omnes causas secundas sibi subordinatas, et qua sic causæ secundæ moventur ut se moveant; sed intelligit singularem illam motionem qua Deus ita movet voluntatem ad primam volitionem finis, ut ipsa se non moveat, de qua dixerat a. 4, et nos diximus paulo superius. Vocat quidem S. Thomas hanc motionem universalem, tum quia est motoris universalis, tum quia est ad universale objectum voluntatis quod est bonum, tum quia est universaliter necessaria omni causæ primo agenti. Nos autem diximus supra specialem seu singularem, non ut excluderemus istas universalitates, sed ut significarem eam addere aliquid supra communem, scilicet quod suppleat actum priorem ex quo voluntas ipsa possit se movere, quod non facit generalis seu communis motio requisita ad omnes alias actiones causarum secundarum.

Quando autem S. Doctor subdit: « Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est vere bonum vel apparens bonum, » non excludit motionem communem qua Deus, ut primus motor, sic movet causas secundas, ut etiam se moveant, sed illam singularem motionem qua voluntatem sic movet, ut ipsa se non moveat. Et sic satisfacit argumento quod sibi objicit, nempe quod, « si a solo Deo voluntas moveretur, nunquam moveretur ad malum. » Distinguendum est. Si a solo Deo voluntas moveretur, sic ut se non moveret, nunquam moveretur ad malum, *conc.*; si sic a Deo moveretur, ut etiam se moveat, *nego*. Ex hoc enim quod sub communi Dei motione voluntas se etiam moveat, se movere potest ad malum seu apparens bonum; idque refunditur in ipsam causam defectibilem, non in primam indefectibilem, ut alias explicatur.

Tandem, quando addit S. Thomas : « Sed interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, » sensus est quod, sicut Deus nos movet ad bonum, ut sic, absque eo quod ad illud nos moveamus, ita quandoque specialiter nos movet ad bonum particulare determinatum, absque eo quod ad illud nos moveamus : sicut in his quos movet per gratiam operantem, v. g., infideles ad fidem, peccatores ad penitentiam, nihil prorsus de fide aut penitentia cogitantes. At hæc singularis motio, ut patet ex dictis, non excludit gratias cooperantes ad alios actus supernaturales, neque motiones communes ad alios actus naturales, a quibus homo sic movetur, ut etiam se moveat.

## ARTICULUS IV

*De modo quo movetur voluntas : an libere, an necessario ?*

D. Thomas, q. 10.

Dico 1<sup>o</sup> : Voluntas movetur naturaliter et necessario, necessitate specificationis, ad bonum in communi, quia est ejus objectum<sup>1</sup>. Potentia autem naturaliter tendit in suum objectum, ita ut non possit oppositum : item ad ultimum finem, seu beatitudinem, sub communi notione apprehensam ; quia sic se habet ultimus finis in appetibilibus, sicut prima principia in speculabilibus. Intellectus autem cognoscit naturaliter prima principia. Ergo voluntas vult naturaliter ultimum finem. Adde quod in opposito boni in communi et beatitudinis in communi nulla possit apprehendi ratio boni.

Dico 2<sup>o</sup> : Voluntas a nullo bono particulari moveri potest necessario quoad specificationem ; quia nullum est quod secundum aliquam considerationem, sive ratione sui, sive ratione adjuncti, non possit apprehendi ut non

1. Hic q. 10, a. 1, o.

bonum, seu ab aliquo bono deficiens, cum nullum sit ita perfectum, ut nihil ei deficiat<sup>1</sup>. Neque quoad exercitium ; quia aliquis de quocumque bono particulari potest non cogitare, et per consequens non velle illud<sup>2</sup>.

Dico 3<sup>o</sup> : Voluntas non movetur de necessitate a Deo, neque quoad exercitium, neque quoad specificationem, nisi in his ad quæ naturaliter movetur<sup>3</sup>.

*Prob.*<sup>4</sup>. Ad providentiam divinam non pertinet, ut dicit Dionys., c. 4 *de Divin. nomin.*, naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.

*Obj.* 1<sup>o</sup> : Omne agens cui resisti non potest, ex necessitate movet. Atqui Deo, cum sit infinitæ virtutis, resisti non potest ; unde dicitur *ad Rom.*, ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Ergo.

*Resp.*<sup>5</sup> quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnet divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur libere, prout competit suæ naturæ.

## ARTICULUS V

*De actibus elicitis a voluntate*

[Actio elicita alicujus potentiæ illa dicitur cujus poten-

1. Ibid., a. 2, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid., a. 4, o. — 4. Ibid. — 5. Ibid., ad. 1.

tia ipsa est simul immediatum principium et subjectum. Ita visio est a sensu visus et est in visu; imaginari est actio imaginationis et in imaginatione existens, etc. Visio dicitur actio elicit a visu, et imaginari actio elicit a imaginatione seu phantasia.

Velle est generice actus elicitus a voluntate. Attamen, pro vario modo quo fertur in objecta, varia sortitur nomina, non vana, sed scitu perutilia. Sunt itaque actus elicit a voluntate quinque præcipue, nempe *intentio*, *electio*, *consensus*, *usus* et *fruitio*: quorum primus et ultimus sunt circa finem, reliqui vero circa ea quæ sunt ad finem, seu media.

1<sup>o</sup> Intentio<sup>1</sup> etymologice accepta significat *tendere in aliud*. Tendunt autem in aliquid, quod est finis, tum movens, tum id quod movetur. At motus illius quod in finem movetur procedit a motione moventis ipsum. Ergo tendere in finem, seu intentio finis, est primo et principaliter actio moventis alia in finem. Atqui voluntas movet quoad exercitium omnes alias animæ vires in finem. Ergo intentio est actio voluntatis, actio nempe qua voluntas respicit finem ut terminum consequendum.

Cum autem finis duplex sit, relativus seu intermedius, qui ad alium refertur et conducit, et ultimus, in quo sistitur, dupliciter considerari debet intentio, ut docet et explicat Angelicus<sup>2</sup>: « Motus voluntatis in finem et in id quod est ad finem, potest considerari dupliciter. Uno modo, secundum quod voluntas fertur in utrumque absolute et secundum se; et sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in utrumque. Alio modo potest considerari secundum quod voluntas fertur in id quod est ad finem propter finem; et sic unus et idem subjecto motus voluntatis est tendere ad finem et in id quod est ad finem. Cum enim dico: « Volo medicinam propter sanitatem, » non designo nisi unum motum voluntatis, cujus ratio est, quia finis ratio est volendi ea quæ sunt ad finem... Et est simile

1. 1, 2<sup>o</sup>, q. 12, a. 1-5. — 2. Ibid., a. 4, o.

de intellectu; quia, si absolute principium et conclusionem consideret, diversa est consideratio utriusque; in hoc autem quod conclusioni propter principia assentit, est unus actus intellectus tantum. »

2<sup>o</sup> Secundus actus voluntatis est electio<sup>1</sup>, quæ est dos essentialis libertatis. Est autem electio « præceptio unius respectu alterius, » et consequenter supponit multa quæ eligi possunt, saltem velle et non velle. Unde in his quæ sunt determinata ad unum, ut bruta, electio locum non habet; licet enim bruta animantia unum præ alio accipiant, ad illud tamen non a seipsis se determinant, ut contingit in electione, sed a natura determinantur.

Dixi quod electio est actus voluntatis. Licet enim voluntatis electio non sit nisi in bonum præcognitum a ratione, et ideo dicatur ratio formaliter concurrere ad electionem, nihilominus substantia actus, seu actus materialiter sumptus, est voluntatis, non intellectus: nam electio perficitur in motu quodam animæ ad bonum quod eligitur; bonum autem est objectum voluntatis. « Manifestum est, ait S. Thomas<sup>2</sup>, quod ratio quodammodo voluntatem præcedit et ordinat actum ejus, in quantum scilicet voluntas in suum objectum tendit secundum ordinem rationis, eo quod vis apprehensiva appetitivæ suum objectum representat. Sic igitur ille actus quo voluntas tendit in aliquid quod proponitur ut bonum, ex eo quod per rationem est ordinatum ad finem, materialiter quidem est voluntatis, formaliter autem rationis. »

Electio autem non cadit in finem ut finis est, sed circa media agitur; nam circa finem est intentio, non electio. Dixi, « circa finem ut finis est; » nam, si finis assumatur et ipse ut medium, sicut accidit in finibus intermediis et subordinatis, nihil prohibet finem, eo quod fit medium, esse objectum electionis.

Hinc intelligitur electioni præire plures alios actus,

1. Ibid., q. 13, a. 1-6. — 2. Ibid., q. 15, a. 1, o.

tum ex parte intellectus, ut *consilium*, quod est inquisitio intellectiva de mediis eligendis; *judicium* discretivum de mediis aptioribus ad finem consequendum, etc.; tum ex parte voluntatis, ut *intentio* finis, *consensus*, et alii.

3<sup>o</sup> Consentire, si etymon spectes, est simul sentire, et importat applicationem sensus ad aliquid<sup>1</sup>. Definitur autem generice consensus « actus appetitivæ virtutis ad hærentis alicui rei, » quasi nempe experientiam quamdam appetitus sumat de re cui inhæret, in quantum complacet sibi in ea. Respectu autem voluntatis, ad quam pertinet in homine consentire vel non consentire, est « voluntatis adhæsiō iis quæ ab intellectu censentur utilia ad finem consequendum. »

Hinc manifestum est consensum non esse de fine, sed de mediis ad finem. Differt autem consensus ab electione, in hoc quod electio addit supra consensum quamdam relationem respectu ejus cui aliquid præeligitur, et ideo post consensum adhuc remanet electio. Potest enim contingere quod per consilium inveniantur plura ducentia ad finem, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur; sed ex multis quæ placent præaccipimus unum, eligendo.

Consensus iste, ut ex se patet, supponit dominium proprii actus. Brutis ergo non competit<sup>2</sup>, quæ appetitivum motum non habent in sua potestate, quia talis motus in eis est ex instinctu naturæ; nam magis aguntur quam se agunt in finem. Consequenter et in homine ipso motus appetitus sensitivi, in se spectatus, non est proprie consensus, quia libertate caret. Quamdiu ergo aliquo modo illis motibus sensitivis voluntas non consentit, quamvis sint aliquando ita vehementes ut videantur voluntarii, neque sunt actus vitii, neque virtutis, quia non sunt actus humani, ut animadvertit Augustinus, dicens lib. XII *de Trinit.*, c. 12, n. 17: « Sensualis animæ motus qui nobis pecoribusque communis est, seclusus est a ratione sapientiæ. »

<sup>1</sup> Ibid., q. 15, a. 1, o. — <sup>2</sup> Ibid., a. 2, o.

4<sup>o</sup> Electionem voluntatis sequitur usus, qui, ut Augustinus dicit in lib. X *de Trinit.*, c. 11, n. 17, « est assumptio alicujus in facultatem voluntatis; » unde dicit idem Doctor, *ibid.*, quod « usus in voluntate est. » Sicut enim consentire est applicare appetitum ad aliquid appetendum, ita uti est applicare aliquod principium actionis ad actionem. « Usus rei alicujus, ait Angelicus<sup>1</sup>, importat applicationem rei illius ad aliquam operationem: unde et operatio ad quam applicamus rem aliquam dicitur usus ejus, sicut equitare est usus equi et percutere est usus baculi. Ad operationem autem applicamus, et principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum et oculum ad videndum; et res exteriores, sicut baculum ad percutiendum. Sed manifestum est quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem nisi per principia intrinseca, quæ sunt potentiæ animæ, ut habitus potentiarum, aut organa, quæ sunt corporis membra... Unde manifestum est quod uti primo et principaliter est voluntatis tamquam primi moventis, rationis autem tamquam dirigentis, sed aliarum potentiarum tamquam exsequentium, quæ comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. »

Hinc sequitur, usum esse de mediis, non autem de fine ut finis est, qui ad aliud non ordinatur, ut dixi de electione.

Pariter usus non convenit parti animali<sup>2</sup>, sed rationali tantummodo. Applicare enim aliquid ad alterum, non est nisi ejus quod habet dominium super illud quod applicatur. Dominium autem, seu arbitrium, necessario supponit rationem, qua unum referri potest ad alterum, ut ex notione liberi arbitrii notum est.

5<sup>o</sup> Fruitio est « amor seu delectatio qua voluntas inhæret alicui rei propter rem ipsam. » Hoc docet Augustinus lib. X *de Trinit.*, c. 10, n. 13: « Fruimur, inquit, cognitiss,

<sup>1</sup> Ibid., q. 16, a. 1, o. — <sup>2</sup> Ibid., a. 2, o.

in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit; utimur vero eis quæ ad aliud referimus quo fruendum est. » Habes hic differentiam inter fruitionem et usum. « A sensibilibus fructibus, ait Angelicus<sup>1</sup>, nomen fruitionis derivatum videtur. Fructus autem sensibilis est id quod ultimum ex arbore expectatur et cum quadam sanitate percipitur. Unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis. Finis autem et bonum est objectum appetitivæ potentiæ. Unde manifestum est quod fruitio est actus appetitivæ potentiæ. » Quod vero fruitio pertineat ad amorem, Augustinus hoc docet lib. I *de Doctrina christ.*, c. 4, n. 4, « dicens: « Frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam. » Atqui amor pertinet ad appetitivam potentiam. Ergo et frui est actus appetitivæ potentiæ<sup>2</sup>.

Apposite Augustinus dicit loco supra cit. quod « frui-mur cognitis. » Ubi enim nulla est cognitio, nulla delectatio dari potest; at ubi cognitio est, ibi datur fruitio. Hinc « frui quidem cibo et qualibet corporali voluptate non absurde existimantur et bestię, » ut idem Aug. ait in lib. LXXXIII *quest.*, q. 30, quia et bestię aliqua cognitione non carent. Atqui imperfecta est in bestiis cognitio qua noseitur particulariter finis et bonum, quia earum virtutes appetitivæ non sunt imperantes libere, sed secundum naturalem instinctum ad ea quæ apprehendunt moventur. Nos autem perfecte finem et bonum cognoscimus, qui ad universalem rationem finis et boni per intellectum assurgimus. Unde, ut concludit Angelicus<sup>3</sup>, « rationali naturæ convenit fruitio secundum rationem perfectam, brutis autem animalibus secundum rationem imperfectam, aliis autem creaturis nullo modo. »

Consequitur ex supra dictis quod fruitio perfecta est de ultimo fine tantum<sup>4</sup>. Fruitio enim est quies voluntatis.

1. *Ibid.*, q. 11, a. 1, o. — 2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.* — 3. *Ibid.*, a. 2, o. — 4. *Ibid.*, a. 4, o.

Quies autem perfecte non invenitur nisi in possessione ultimi finis, qui est bonum completum et terminus voluntatis. Ex quo concludendum est quod, quamvis aliqua imperfecta fruitio possit haberi etiam de fine ultimo nondum realiter habito, sed tantum in intentione, perfecta tamen fruitio in anima esse non potest nisi ex reali possessione ipsius finis ultimi.]

## ARTICULUS IV

*De actibus imperatis*

D. Thomas, q. 17.

*Petes* 1<sup>o</sup> utrum detur in homine imperium respectu sui et suarum operationum.

*Resp.* affirmative<sup>1</sup>. Quia, præter electionem, datur in voluntate usus activus. Ergo, præter iudicium regens electionem, debet dari alter actus in intellectu regens usum et executionem, qui dicitur imperium. Patet consequentia, quia voluntas nunquam operatur sine directione intellectus. Antecedens etiam constat, quia electio versatur circa medium in ordine intentionis, ut est futurum et effectus finis. Usus activus versatur circa idem medium in ordine executionis, ut est præsens et causa efficiens finis habiti in re. Ergo isti duo actus versantur circa objecta formaliter distincta, licet sint materialiter idem.— Subsumo. Atqui actus essentialiter distinguuntur penes objecta formaliter distincta. Ergo. — Insuper, ubi est nova et distincta difficultas, ibi requiritur novus et distinctus actus. Atqui in executione, nova, distincta et longe major difficultas reperitur quam in electione, ut omnibus pervium est. Quot sunt enim qui facile eligunt, et in executione deficiunt!

*Petes* 2<sup>o</sup> utrum imperium sit actus rationis vel voluntatis.

1. Hic q. 17, a. 3, ad 1.



*Resp.*<sup>1</sup>. Imperium est substantialiter actus rationis, præsupposito actu voluntatis in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.

*Prob.* Imperare tria dicit : primum, ordinare eum cui imperatur ad opus faciendum et media hic et nunc exequenda ad finem consequendum ; secundum, intimare seu denunciare opus faciendum, non indicativo modo, dicendo : « Hoc est faciendum, » ut sit per iudicium discretivum, sed imperativo modo, dicendo : « Fac hoc ; » tertium, movere ipsum seu potentiam cui imperatur ad operis executionem. Atqui hæc tria sunt rationis. 1<sup>o</sup> Ordinare, est conferre seu comparare unum ad aliud ; quod, cum sit aliquid intelligibile, est proprium rationis. 2<sup>o</sup> Intimare seu denunciare, est manifestare et loqui ; quod etiam pertinet ad intellectum. 3<sup>o</sup> Quamvis voluntati per se primo conveniat movere, quia est primum movens ad exercitium, convenit tamen secundario et participative intellectui, ex actu præcedente voluntatis, quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti : unde, sicut in electione remanet aliquid de virtute actus consilii præcedentis, scilicet ordo mediorum, ita in imperio remanet aliquid de virtute electionis, nempe efficacia movendi. Ergo imperium est actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.

*Potes* 3<sup>o</sup> quinam actus subjiciantur imperio rationis.

*Resp.*<sup>2</sup> et sit regula generalis : Illi actus qui sunt in potestate et arbitrio nostro, et ad quos ratio suadens movere nos potest, imperari possunt ; hi vero qui non sunt in potestate et arbitrio nostro, et ad quos ratio suadens nos movere non potest, imperari non possunt. Colligitur hæc regula ex ipsa natura imperii. Imperare enim est superioris gubernantis et potestatem habentis ad movendum et obligandum ut sibi obediatur, alioquin inane foret imperium. Ex hac regula generali deduces

1. Ibid., a. 1, o. — 2. Ibid., a. 5-9, o.

quinam actus in particulari subjiciantur vel non subjiciantur imperio rationis<sup>1</sup>.

## DISSERTATIO IV

## DE ACTIBUS HUMANIS IN ESSE MORIS

D. Thomas, qq. 18, 19 et 20.

## ARTICULUS I

*In quo consistat moralitas in communi actuum humanorum ?*

Actus moralis definiri potest : « Actus procedens a deliberata voluntate cum subiectione ad regulas morum, » quæ sunt lex æterna et recta ratio.

Dico 1<sup>o</sup> : Moralitas in communi non consistit in denominatione extrinseca petita a regulis morum.

*Probatur*<sup>2</sup>. Esse morale, et præsertim bonitas moralis, est perfectio in actibus humanis existens a parte rei, causata a virtutibus, a voluntate libera et a Deo. Ergo non est mera denominatio extrinseca et ens rationis.

*Confirmatur.* Deus remunerat et punit in æternum propter actus bonos vel malos moraliter. Atqui absurdum est quod æternum præmium, aut supplicium, decernat propter denominationes extrinsecas et entia rationis. Ergo.

Dico 2<sup>o</sup> : Libertas requiritur ad moralitatem, non tamen moralitas formaliter in ea consistit.

Prima pars constat, quia actus necessarii non subjiciun-

1. S. Thomas, hic ab art. 5 ad 9, perpendit an sint imperati actus voluntatis, rationis, appetitus sensitivi, animæ vegetativæ, et exteriorum membrorum. Quære ibi solutiones. — 2. Hic q. 18, a. 4, ad 2.